

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Dissertationem Moralem De Norma Actionum Humanarum
Indultu Facultatis Inclytae Philosophicae In Celeberrima
Academia Lipsiensi die VII. Maii Ann. MDCXCIIIX. H. L. Q.
C. sub Praesidio Dn. M. Joh. ...**

Lipsiae, 1698

§. XIX

urn:nbn:de:bsz:31-102642

bere, ut danti res inviolata restitatur; quocirca obligasse se ad summam in ea custodienda diligentiam videtur. (3.) *In quocumque negotio solius dantis versatur utilitas, in eo prestanda ab accipiente est culpa non nisi lata.* Et hinc si accipiens in rebus suis negligens fuerit, non tenetur majorem rei tali alienae curam impendere; cum sibi imputare debeat, qui dedit, quod eam in tam negligentem hominem transtulit.

§. XIX.

Ad ultimum illud etiam tenendum est, nisi invitus quis laedatur, laesionem injuriam dici non posse; quod & vulgata regula dicitur: *Volenti non fit injuria.* Cujus rationem Pufendorfius hanc recte tradit, quod debitum perfectum alteri prestandum, si volenti denegatur, ab eo donari videatur; quod item fiat, si vel volenti res sua auferatur, vel non invito aliquod malum infligatur. Quaecumque enim hic accidit laesio, non nisi materialis est; formaliter autem talis dici non potest; cum ad rationem formalem laesionis requiratur aversio quaedam animi in eo, qui laesus dici debet. Sed bene rem Pufendorf. ita limitat, ut in eo id non procedere dicat, qui vel mentis suae non satis compos, vel urgentis alicujus affectus impetu perturbatus est. Talis enim uti jus sibi competens remittere non potest; ita nec impedire, quod minus laesio ipsius a proaere profecta injuriam nomen & effectum habeat.

§. XX.

Divisio legis institui potest vel intuitu *Autoris* seu *Legislatoris*, vel intuitu *Objecti*. Respectu *Objecti*, prout nimirum lex versatur circa res necessariam convenientiam vel disconvenientiam cum natura humana habentes, vel minus. Et inde hoc respectu est vel *naturalis* vel *positiva*. Illius, legis scilicet *naturalis* objectum sunt res naturae humanae tanquam sociali necessario vel congruentes, vel non congruentes. Hujus autem *positivae* legis *objectum* sunt res nexum talem necessarium cum natura humana non habentes. Quoniam autem res vel actiones cum natura humana necessariam convenientiam vel disconvenientiam habeant, id ex rectae rationis dictamine colligendum est; mediante quo proinde leges naturales innotescunt. LL. autem positivae variis modis innotescunt, ut supra vidimus;